

1440 missum. Petrus Ludronius, Paridis filius, ob sua & patris in Rempublicam merita, ampla & ipse munera accepit, ac cum his trinas ædes, Paduæ unas, alteras Vincentiæ, Veronæ novissimas.

1441 Exhibita ad id in urbe spectacula pene insueta; atque
 Spectacula
 ampla &
 insignia in
 gratiam
 Jacobi Fo-
 scari, Prin-
 cipis filii,
 edita.
 illa ipsa omnia in Jacobi Foscari, Principis filii, gratiam, qui uxorem per eos dies duxit splendidissimo nuptiarum apparatu. Sed spectaculorum omnium illud ut insuetum, ita maxime voluptuosum, & ob id fortassis præ cunctis memorabile: quod a Samuelis æde ad Barnabæ ripam aquas, ponte ad tempus extructo, junxit, ut equestri pompa in Leonis Contareni ædes transiret, qui illi filiam desponderat. Eam paternis ædibus eductam, Bucentauro nobilissima na vi purpura instrato excipiendam curavit: in quo ex omni nobilitate matronæ cultu & fortuna præstantes affuisse dicuntur. Hastarum ad hæc certamina, & aurigationes plures dies tenuere, & a pluribus in Principis gratiam instauratae. His erat civitas spectaculis occupata: dum Picininus, qui neque victor, ut diximus, neque victus quiescere poterat, satis valido in Gallia exercitu reparato, media ferme bruma (tum dico, quum nemo eum moturum sperasset) in Brixianum agrum repente impetum fecit: tantoque tumultu & terrore omnia complevit, ut priusquam Sforcia Venetiis profectus sit, omnem Brixiani agri planitem, præter Urceos, cum omnibus quaæ in Abduana terra, inferioreque Bergomatis agri ora Venetus tenebat, ad dediti nem compulerit, mille & ducentis equitibus ad Clarum oppressis. Sforciani ex hybernis tumultuose exciti, in munitiona se receperant loca: quo factum est, ut tantus uno loco equitatus interceptus sit. Accessit ad eam cladem Ciarpellionis defectio, qui cum equitibus trecentis ad Picinum transiit: cuius perfidiam Dux Hadriæ secutus, & ipse cum non parvo equitatu Sforciam deseruit. Mira locorum defectio ad hos motus secuta fuerat: sed longe major postea secuta est ad falsos rumores, quos de illo dissipandos Picininus curarat: fuisse eum Venetiis in custodiæ congettum, ac Patrum jussu clandestine necatum. Ea mendacitatem oppor-